



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt XVII. Quantis iniurijs à temerè iudicantibus; quantis beneficijs à Deo  
temerè iudicati innocentes afficiantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

cas sibi indignè inferri. Et monet vel Epictetus, unicuiq; debere satis esse, vt sibi ipsi appareat vir bonus, neglectis aliorum de se iudicijs. Miraturque Antoninus, qua ratione homines, cum se præ omnibus diligant, suum tamen de seipsis iudicium, præ alieno tam parui æstiment. Qui sibi conscius est bene, non debet curare, si alij iudicent malè. Vile enim iudicium est, quod erroneum est; & illum ipsum, quem heri laudauit, hodie depretiat adulator.

Epictet.  
in Enchirid. c. 30.

S. Antonin. lib.  
12. n. 4. 5.

### C A P V T X V I I .

*Quantis iniurijs à temerè iudicantibus;  
quantis beneficijs à Deo temerè iudicati innocentes afficiantur?*

#### §. I.

*Scriptura exemplis docetur, sinere Deum infamari innocentes, sed eosdem iterum in honorem reponere.*

**D**erisa olim Anna, & ab Heli, pro ebria, habita, cum postea filium suum Samuelem Domino offerret, ex sterili fœcunda, atque ex contempta honorata facta, in gaudio cecinit: *Dominus 1. Reg. 2.  
morti- 6.*

Daniel.  
13. 630

mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Nempe ille est, qui nos finit hominum iudicijs affligi, atque ab iisdem nos deuò eripit; sicut eripuit Susannam iam, ob falsa senum testimonia, damnatam; quæ, dum ducebatur, ad iudicium retracta inuenta est castimoniæ speculum, quæ fuerat de adulterio infamata. Hæc enim est ars Dei, vnde mundus pios humiliat, inde ille eos exaltat; sicut etiam plerumq;, qui se exaltant, per ipsam exaltationem humiliantur. Igitur Helcias & uxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea

Rom. 15.  
4.

res turpis. Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Quin etiam ut à facinoribus suis mali deterreantur, si illis manifesta fiat enormitas iniuriarum, quas alijs intulerunt.

§. II.

*Hospitalitas erga pauperes Christi, quàm Deo grata?*

Inter eiusmodi scripta, censeo etiam meritò habendam vitam S. Vdalrici celeberrimi Augustani Episcopi, quæ è vetustissimis codicibus, ante Martini Lutheri tempora,

pora, Augustæ in lucem edita] est, fide utique  
antiqua. In qua legimus, D. Vdalricum ex  
itinere aliquando ad Rhenum perlatum in-  
cidisse in Comitem, qui fama sanctitatis il-  
lius permotus, magni fauoris loco habendū  
existimauit, si impetrare posset, vt eum in  
arce sua hospitem susciperet. Quemadmo-  
dum etiam hodie DEVM amantes gaudent, si  
PP. Franciscanos, Cappuccinos, aut alios  
Dei seruos, ad hospitium suum trahere pos-  
sint, Existimant enim, se Deum ipsum, in  
illis excipere, & cum Deo diuinam benedi-  
ctionem. Qualis, cum Elia, ingressa est, in 3. Reg. 17.  
Sareptha Sidoniorum, in domum viduæ, 14.  
cuius *hydria farina non defecit, nec lecythus olei  
minutus est, usque ad diem, in qua Dominus de-  
dit pluuiam super faciem terra.* Quæ mulier  
vtique hanc benedictionem meruit admi-  
rando genere hospitalitatis. Nam cūm vbi-  
que fames esset; cūm ipsa & filius omnia  
iam consumpsissent, nec illi quidquam su-  
peresset, nisi quantum pugillus capere potest  
*farina in hydria, & paululum olei in lecytho,*  
quo absumpto, iam se morituram cum filio,  
præ fame, ominabatur; tamen ausus est ab  
ea petere Elias, ac dicere: *mibi primūm fac  
de ipsa farinula subcinericium panem paruu-*  
lum,

lum, & affer ad me. *Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Elia.* Quæ jam hoc mater faceret, quæ non diceret; *Quisq; sibi proximus, aut, Tunica pallio propior est:* Ego prius, cum filio meo, comedam; si nobis ipsis non sufficit, cur daremus tibi? Nihil horum dixit; sed Eliæ primùm dedit, prodigioso quodam hospitalitatis exemplo. Quo non solùm nihil amisit, sed lucrata est plurimùm. Nam & comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus. Quin & aliud beneficium illi Elias contulit, vt defunctum postea filium eius à mortuis resuscitaret.

## §. III.

*Opiparum & ferale Comitum epulum.*

Parem hospitalitem prædictus Comes, vtpote opulentus & omnibus rebus abundans S. Vdalrico non exhibuit, maius tamen beneficium reportavit. Nam postquam summis precibus obtinuit, vt pius Antistes apud eum diuerneret, res prorsus nouæ atq; stupendæ acciderunt. Iusserat Comes epulum splendidissimum apparari; iamq; accubuerant, & tot missus in mensam inferebantur, vt eorum ne numerandi quidem, nedum edundi copia esset. Ac, vt cum ventre

etiam

etiam oculos liceret satiare, stabant, inter cibos, pictæ ad elegantiam dapes, vernabant horti; germinabant de ferculis herbæ & gramina; saliebant in altum è sacchareis rupibus fontes; explicabant in orbem oculos & gemmatam caudam pauones. Denique quidquid tanto hospiti honorando eorum industria atque cupediariorum artes poterant elaborare, apponebatur. In sæculo ista magna videntur, & hominibus, corpori saginando deditis placent. D. Vdalrico omnia frustra fuerunt apparata. Nihil illi sapuit, nihil omnium pretiosorum attigit. Nempe alium illi cibum misit Deus, quem vulgus nesciebat. Siquidem, vbi coeptum est epulari, sub ipsa conuiuij initia, introducta est, in triclinium, miserandi vultus femina, emaciata, pallida, ossea; de cuius collo humanum caput, idq; tabidum catena reuinctum pependit. Hoc tam triste mulieris spectrum, in extremo triclinij angulo cum canibus prandere atque hordeaceo pane & aqua contentum esse cogebatur, ad mortem potius, quàm ad famem arcendam. Quod tam miserabile spectaculum non solum exterruit S. Antistitem, sed etiam à ferculis ad se totum rapuit occupauitque.

Omnibus igitur alijs rebus omissis; domi-  
 num domus interrogavit, quænam esset æ-  
 rumnosa illa, & quæ tantæ immanitatis  
 causa? Conticuerunt omnes initio ad hanc  
 interrogationem, neque ipse loci Comes  
 statim erupit in responsa; sed aliquamdiu  
 cogitabundus hæsit. Vbi autem visus est  
 sibi satis iræ & verborum collegisse; mag-  
 no sermonis pondere sic cœpit loqui. *Ve-  
 nerande Præsul, Femina hac, quam, inter ceteros  
 hos, coram intueris, aliter quidem est à primis  
 incunabulis enutrita, sed nempe è prima nobili-  
 tatis domo oriunda aliter vixit, quam eam opti-  
 mi parentes docuerunt. Siquidem è castissimæ  
 educatione in putidam mœchã degeneravit. At-  
 que, ut me clariùs intelligas; hæc uxor mea fuit,  
 sed per adulterium mea esse desijt. Eapropter  
 eam anno iam solido, in hunc, quem vides mo-  
 dum, castigo, facinusq; hoc sanguine indignum,  
 vindico; ut alia illius exemplo discant fidem tori  
 habere sanctiorem. Porro cuculus meus fuit E-  
 questris ordinis homo, cetera nobilis, hoc autem  
 crimine & stemmatis sui infamia, & domus  
 mea ignominia factus. Cuius proinde sceleratum  
 à ceruice caput resectum, ferroq; vinctum, à  
 collo amassa noctes diesq; pendulum feci, ut eti-  
 am mortuum in oculis haberet, quem solebat*

vini

vinum in sinu gestare. Ob hoc flagitium, hoc meruit ornamentum. Atque hoc clementia mea est, torquatam feci, quam oportuit esse crematam. Beneficio meo viuit, per quam si stetisset, Agisthum meum iam dudum habuissem.

§. IV.

Facile esse errare, praesertim eos, quos zelotypia decipit.

Hæc contentiùs perorantem, quo sensu generosæ indolis femina audierit, vos cogitate; cettè, morte ipsa illi grauius fuit in catenis produci, & coram tanto hospite, in angulo, cum canibus, bestia instar, pasci. D. Vdalricus, postquam audiuit, aula Dominam illam esse, Deoq; suggerente, intellexit, innocentem tam miseris modis discrucari, rogauit primùm Comitem, ut, quæ apposita erant, omnia iuberet auferi, mensasq; remoueri, non enim sibi quidquam sapere, aut famem esse ad mortales cibos, vbi animarum posset negotijs satiari. Postquam ergo Comitis mandato ablata fuerunt omnia, cœpit diuinus Antistes eiusmodi sermonem. *Magno me, Domine Comites, hospitij & conuiuij honore excepisti, maiore beneficio afficies, si, ut adium tuarum portas mihi aperuisti, ita & aurium osti apertas*



das; sinasq; gratiam mihi praestitam verbis salutaribus compensare. Sic Praefatus, cum Comitum attentum animaduerneret, immo loqui, quaecumq; vellet, iubentem audiret, in hunc modum orationem pertexuit. *Facile est adulterij facinus, & perfidia supplicij digna. Neq; quidquam accidere potest, quod in coniuge iustiore iram prouocet, quam si thalami iura, quae sanctissima esse debent, violentur.* Ad hoc Praesulis exordium, famina in catenis habita paene exanimis concidit. Sed paulo post fuit generositati suae reddita, ubi arumnae suae patronum audiuit sic perorantem. *Ignis tamen vehemens est coniugij zelus, in grauius incendia erumpit. Sed videndum est, etiam atque etiam, qua materia ignis ille incendatur. Cum enim nihil facilius sit, quam errare in iudicando, ibi maxime erratur, ubi cecus amor precipitat iudicantem. Quid enim? est rea sit, num idcirco nos deset misericordia obli-*

**Ioan. 8. 3.** *nisci, quia illa peccauit? Numquid, quando adduxerunt Scribae & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam & statuerunt eam in medio, Dominus IESVS dixit eis, Qui sine peccato est vestrums, primus in illam lapidem mittat? Nostra vellemus peccata clementer iudicari; immo mala, quae facimus, indignamur.*

si alij non indicant esse bona; & in aliorum cul-  
pis tam sumus seneri exactores? Accedit, nos  
sapissime in iudicijs decipi. Nam, si nescis, san-  
ctissimi quiq; viri, & innocentissima femina te-  
meritate iudiciorum condemnati sunt. Et ut  
non longius, per exempla excurram, cui iniuria  
hac non potest irrogari, si ipse Dei Filius fuit in-  
iustissime morti adiudicatus? Sed indica mihi,  
obsecro, unde tibi tam dira suspitionis origo in-  
mentem venit? Annè miseram istam tu in fla-  
granti crimine deprehendisti? aut quo argu-  
mento inductus es, ut adulterij ream damnares?

§. V.

*Temeritas iudicij è re nihili, vel quam ipsi faci-  
mus, hausti.*

Ad hæc Comes, omnem vim probatio-  
nis promens, deprehendisse se eos dixit,  
aliquando vnà colloquentes. Hoc totum  
crimen erat, quod censebatur adeò atrox  
supplicium commeruisse. Quare denuò ex-  
hortari orsus Antistes, *Nescis*, inquit, pec-  
catum esse, dubitare de proximi virtute, etiam  
quando quis neutram in partem per assensum  
propendet, sed cum prudens & sciens cohibet, &  
anceps hæret, si quidem non nitatur sufficienti  
caussa; cum iniquè illum bona existimatione pri-  
uet, ad quam utiq; ius habet is, qui priuatur.

*Quantò igitur iniquius erit, indicare plene, ac deliberate, & pro certo, aliquid mali de altero, sine sufficiente causa; & quidem tam funestum malum? nec indicare tantum, sed etiam ad po-*

**Pfal. 57.**

**1.**

**Matth. 7.**

**1.**

**Rom. 2.**

**1.**

**Sot. lib.**

**3. de iusti-**

**tia q. 4.**

**art. 3.**

**Ioan. 4.**

**27.**

*nam procedere? Numquid audiisti? Si verè utique iustitiam loquimini, recta iudicate, filij hominum: Et illud? Nolite iudicare, ut non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & istud? Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Quid enim? num causam tibi fuisse sufficientem arbitraris, ut adteros iudicares, qui deprehensi sunt à te colloquentes? Causa sufficiens à viro prudente existimatur, quæ, considerata condicione materie, & persona, & alijs circumstantijs mouere potest prudentem ad malum aliquod iudicandum. Quumquam vir prudens, statim de adulterio iudicet, quem cum femina vider sermocinantem? Nonne prudentes erant Apostoli? & tamen nihil tale de Christo sunt suspicati, quantumuis mirabantur, quia cum muliere loquebatur, nempe Samaritana. Te ipsum appello, numquid enim sepius es cum femina collocutus? igitur te debuit vxor tua, ut adulterum repudiare, nedum tam exquisitis tormentis exagitare? Nonne*

Nonne lex naturalis precipit, quod ab alio oderis tibi fieri, ne tu alteri facias? Nolles Tob. 4. tu hac alios in te regula colloctionis iudicari, 16. cur igitur ipse lege tam prava iudicās uxorem tuam? non sineres tu hoc testimonio te de adulterij crimine vinci: Cur igitur in coniugem tuam eiusmodi & testis & iudex extitisti? Si vita hominis à tam leui coniectura pendet, S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3. & Calet. ibi. millies occidi meruisti. Praterquam, quod, ad aliquem in iudicio condemnandum ad pœnam, certitudo requiratur, per idoneorum testium probationem. Quod quia tu neglexisti, reus innocentem damnauisti, neque iam illa est adultera, sed tu homicida. Itaque uxorem à pœna absolue, tu pœnitentiam age.

§. VI.

Mortui loquentis atque ad vitam excitati, de innocentia, testimonium.

Non facile in contrariū mouentur magni domini, & magni peccatores: illi ob superbiam, qua se putant errare non posse; isti ob contumaciam, qua obdurerunt. Quare cùm Vdalricus Comitem verbis non posset corrigere, prodigio rem transegit. Ita igitur silentem est allocutus: Quandoquidem sermonibus nihil proficimus, visne errorem tuum agnoscere, si hoc, toto iam anno, emortuum

atque effretum caput, quod uxori tue catenis, tamquam infame adulterij monumentum, & horrendum monile, ad collum alligasti, innocentiam suam loquendo reddiderit testatam? Quid hinc exciperet Comes? spondit. Sponsione facta, D. Vdalricus sacellanos aliosque sacerdotes comites hortatus est, ut Deum ardentissimis votis rogarent, ne ad honorem nominis sui, ac populi circumstantis bonum (erant quadraginta in loco praesentes) antiqua renouare miracula dedignaretur. Itum est in preces. Nec diu distulit exaudire seruum suum Deus, sed per amputati capitis putrem iam linguam eius commoti vocem edidit. *Ego cum hac femina non peccavi.* Quasi tonitru audiissent, ita attoniti omnes steterunt. Sed D. Vdalricus etiam cadaver occisi iussit afferri, quod sub patibulo sepultum exhumatum est, & asseri impostum in triclinium illatum, tum caput à muliere demptum ad trunci corporis pedes, de more proiectum est. Sed ô potentiam Dei? nemine manus adhibente, sponte sua à pedibus ad ceruicem accessit, illique ita repente coaluit, ut homo, duodecim menses mortuus, illico renouiscens surrexerit, Comitemque in hæc verba compellârit: *Domine comes, innocen-*

*innocentia*

innocentissimam & integerrimam Coniugem tuam iniuste indicasti, & indigno supplicio crudeliter afflixisti; nihil illa in te umquam peccavit, sed tu in illam. Dicitur non potest, quis tunc in omnium animis motus, quæ vox, qui gratulantium atq; Deum laudantium exorti sint clamores. Alij innocentium vindicem, alij patientium coronam; alij derelictorum defensorem Deum celebrarunt, qui *deducit ad inferos, & reducit*, alij deinde Vdalicum ipsum laudibus extulerunt; alij deniq; diuinæ providentiæ gratias egerunt, qui talem hospitem adduxisset. Redijt tunc afflictissimæ dominæ color, redijt animus, & decus; quam vberimè lachrymans, & ad genua eius accidens Comes, veniâ suppliciter petitâ, tanto in thalamum honore recepit; quanta priùs ignominia iniuriâq; à se se repulit ad canes, & repudiauit. Habita est postea non solum in veneratione, ob innocentiam, sed etiam pro sancta, ob patientiam. Siluit enim toto anno, tam diriter tractata, neque umquam innocentiam suam obtendit, neque viri iniurias accusavit; vt hoc ipsum pro maiore miraculo sit existimatum, quòd femina illustri sanguine oriunda tantum dedecus; mulier delicatè enutrita

trita tam asperum vitæ genus potuerit æquanimiter tolerare; quàm quod alter sit ad vitam reuocatus. Et si enim hoc contra naturæ est leges; illud tamen plus quàm famineam exigit virtutem. Et vxorem quidem suam Comes recepit; Nobilem autem illum numquam de iniuria sibi illata questum (quòd in altera vita iusti iudicij diuini arcana inspexerit, & nouerit, cur Deus eam sibi necem parari permiserit) D. Vdalricus secum Augustam perduxit, vbi in æde summâ B. Mariæ dictâ consecrataque, Numini eiusque Matri gratijs agendis seruiuit, eo officij genere, quod Germani quidem dicunt *Stüelbrüeder* appellant, nos autem custodes templi possumus nuncupare. Post obitum autem S. Pontificis Vdalrici, ad sepulchrum illius, reliquum vitæ adhuc viginti septem annis prolongatæ, & in omni genere pietatis exercitiæ dedicauit. Ita hospitio receptus D. Vdalricus, matrem familias in gratiam mariti, maritum ad poenitentiam, Nobilem iniuste occisum ad vitam reduxit, ignominiam iniuriaque omni in maximam Dei ac ianocentum gloriam conuersâ.

§. VII.

*Suspiciones adulterij inter varios innocentes coniuges nata.*

Possem hîc in encomia patientiæ, in diuini arcani consilia, in Dei artes ex ipsa ignominia gloriam illustrantes excurrere, & exclamare: *Iustitia Domini recta, latifican-* Psal. 18 9.  
*tes corda*; sed magnitudo iniuriæ, quam Comes iste innocentissimæ mulieri intulit, quamq; Deus tam inaudito prodigio mundo detexit, me omnia alia agere volentem, velut iniecta manu, ad se trahit, nec finit tacere tantam immanitatem, quæ non in hoc solo Comite ad cælum clamauit; sed adhuc quotidie patrat. Nam in primis nihil est frequentius, quàm inter coniuges zelotypia, & ex hac suspiciones, iudicia temerariè lata; odia, insidiæ, homicidia, & omnis generis mala. Itaque lubet addere, *man-* Matth.  
*tissa loco, nihil inter coniuges existere posse gra-* Rader.  
*uius, quàm mutua fidei diffidentiam, ex qua* part. 2.  
*nascitur coniugum pestis suspicio, è suspicione ob-* Bauariæ  
*seruatio dictorum, factorum, nutuum omnium,* S. pag.  
*300.*  
*è dubijs falsisq; signis persuasio; ex hac cades*  
*& parricidia. Nihil ago, nisi documentis osten-*  
*do, quibus erudiri possit orbis. Theodosius mi-*  
*nor Arcadij F. Theodosij M. nepos Eudociam*  
*Augu-*



Baronius  
in Ottho-  
ne III.

*Augustam coniugem, ob pomum Paulino donatum, ab societate tori seiunxit; Paulinum, ut alij tradunt, eadem nocte occidit, vel in exilium deportari mandavit. S. Itta ex rupe praeceps in altam voraginem deturbata. Extat vita Itta singulari libello edito ab Fischingensi Abbate vulgata. Ottho III. Imperator falso delatum Comitem occidit. Henricus S. Kunegundis innocentiam ferro igniq; exploravit. Alij priuatorum casus quotidiani & sine numero occurrunt.*

§. VIII.

*Iudicia temeraria quoties, & quàm iniquè ferantur?*

S. Bern.  
serm. 12.

Neque inter coniuges dumtaxat eiusdemodi iniusta atq; temeraria iudicia feruntur. Seruus conseruum, immò dominum; filius patrem; filia matrem; maritus vxorè; vxor maritum; subditi Principem & magistratum; sæcularis Religiosum, Religiosus sæcularem, immò & Religiosum, filius confessionis Confessarium ad iudicij sui tribunal vocat. Vnde S. Bernardus ait: *Si is, qui de claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minùs districtè, minùsq; circumspèctè se se agere deprehenderit; verbi gratia in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio;*

non

non ad iudicandum confestim profiliat; sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri, Eccli. 42. quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem <sup>14.</sup> in tui custodia vigilans bene facis, sed qui iuvat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit, absq; aliqua iniquitate, id <sup>Iac. 5. 20;</sup> est, absque aliqua inaequalitate vita & conuersationis sua, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hac dicta sint contra germinam tentationem, qua saepe viri Religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temerè iudicare diabolicis instigationibus incitantur. Vitali Monacho de prostibulo egredienti, quidam, qui temerè iudicabat, eum libidinis exercendæ causa, in illo fuisse putans, colaphum infregit, & illico à dæmone insecus est. Adibat enim Vitalis prostibula, vt meretrices à turpi corporis quæstu auocaret, pecuniaq; paciscebatur vel vnus notis continentiam. Quæ res clariùs patuit, cum percussorem suum à dæmone liberauit. Ostendit ea liberatio, sanctum fuisse, qui temerè est iudicatus; iniustum, qui temerè iudicauit. Eiuscemodi iudicia, non tantùm quotidie, in vna ciuitate contingunt milles, sed saepe in vna domo, saepe in vno homine. Quidam enim vel naturæ tristis, vel

amaræ

amaræ mentis vitio, neminem aspiciunt, quem non iudicent damnentque.

## §. IX.

*Temerarium iudicium quàm grave sit peccatum, & cur?*

Putabit quis ea iudicia non esse magni momenti, cum intra cogitationem orta, intra cogitationem illicò occidant; aut certe, si pertinaciùs hærent, ultra cogitationes non progrediantur. Verùm res secus evenit. Siquidem & alterum sua priuant estimatione, & iudicantem obligant ad opinionem temerè iudicato restituendam, suamque retractandam; quod cum & rarò fiat, & difficile sit exequi, quia opinionem semel conceptam humani ingenij pertinacia non libenter mutat, fit ut is, qui ita iudicavit, iudicium suum ad iudicium & tribunal Dei secum, ex hac vita, plerumque auferat, cum periculo æternæ damnationis. Et, ne quis putet, Comitum quidem iudicium quod innocentem coniugem catenis oneratam, ad canes damnavit, grande quid patrasse; suum autè iudicium innoxium esse, neque ad tam crudeles pœnas decernendas procedere, sciat, quicumque, apud se se, alterum cum temeritate iudicat mortaliter peccavisse

uisse ( quo pacto homines creberrimè iudicant ) illum, quantum in se est, non ad canes, aut canes alterum, sed ad longè atrociora supplicia, nempe ad æternum carcerem, & æternos ignes damnare. Quid enim aliud facit, qui alterum iudicat lethale peccatum commisisse, quàm vt iudicet, eum æternis supplicijs dignum esse? & non ad Caucasum, sed ad rogam damnandum esse, caminumque ignis, qui numquam extinguetur?

§. X.

*Temerariè iudicantes Dei summi Iudicis iurisdictionem innadere.*

Quod iudicium cum ad solum Dei tribunal pertineat, cuius est scrutari corda & renes, & illuminare abscondita tenebrarum; consequens est, vt Dei iudicium vsurpet, qui de corde, seu voluntate, & occultis alterius iudicat. Sicut ergo magnam Iudici sæculari, aut Ecclesiastico iniuriam irrogaret, qui, eo de tribunali suo deiecto, se ipsum, per vim ingereret, atque sedens in illo iudicaret; ita in vniuersalem viuorum & mortuorum Iudicem Christum iniurius est, qui fratrem, aut proximum suum iudicat gehenna dignum. Prima iusti iudicis conditio est, *Authoritas*

S. Thom.  
2. 2. q. 60.  
a. 6.

Sot. lib. 3.  
de iustis,  
q. 4. a. 6.

*thoritas legitima*; qualem habent iudices ordinarij, aut delegati, aut etiam arbitri (iure gentium) quibus se, & quorum iudicio nonnulli vltro subiiciunt. Qui sine eiusmodi potestate alterū iudicat, inuasor est, tyrannus est. Hinc illud ei dicitur: *Tu quis es, qui indicas alienum seruum?* Et istud: *Vnus est legislator & index, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui indicas proximum?* Quæ-  
**Rom. 14. 4.** *nam ista impudentia est, vt faciem Dei acci-*  
**Iac. 4. 12.** *pias, & pro eo iudicare nitaris?* Et iterum Iacobus: *Qui indicat fratrem, indicat legem.* Legis enim sibi partes vsurpat, cuius iudicio suum iudicium anteponit, cum velit alterū, non secundum legem, sed secundum suum iudicium, immò somnium iudicari. *Si autem indicas legem, ait, non iam legis factor es, sed index.* Denique noluit Deus hominem ab homine iudicari, ex arbitrio suspensionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio; sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesie, sine vltro confessum, sine accusatum atque conuictum.  
**S. August. hom. 50. ex 50.**

## §. XI.

*Quas ob causas Deus prohibuerit iudicia temeraria?*

*Causæ, cur hoc iudicium vetuerit Deus, sunt*

sunt istæ. 1. Qui iudicat alterum, debet de crimine eius certus esse antè, quàm eum ad supplicium damnet. Atqui, sine peculiari Dei revelatione (qualis S. Vdalrico de iniusta Comitis damnatione erga coniugem & Nobilem facta est) nemo scit alterius mentem, aut intentionem, aut occultum crimen. *Quis hominum scit, quæ sunt hominibus, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Immodè sapissime adeò latet amor proprius, adeò in propria causa mali iudices & excæcati sumus, ut nesciamus de nobis ipsis rectè iudicare. 2. Hanc ipsam ob causam, frequenter erratur, non solum quia nescimus occulta cordis alterius, sed etiam, quia sæpe quis hodie alius est, quàm heri; & cras alius erit, quàm hodie: de futuris autem contingentibus, quid mortales scimus? hodie quis peccator est, cras pœnitentiam aget, & erit iustus. Quantus autem error, hominem iustum iudicare, tamquam peccatorem? Narra- rat S. Dorotheus, monachum audiuisse de altero, quòd in fornicationis peccatum in-

1. Cor. 2.  
11.

S. Dorotheus  
serm. 6.

Z 2

addu-

adducens, iubensque ut animam illam iudicaret, & sententiam ultimam in eam pronuntiaret, quandoquidem iam antè illam iudicare cœpisset. Quo audito, perterritus monachus, grauem suum errorem animaduertit; & sine dubio dixit, quod apud Climac. 6, 2. Climac. uertit; & sine dubio dixit, quod apud Climacum alius dixisse legitur: *Non iudicare ueni, sed iudicari.* Promittit quidem Christus ijs, qui eum, relictis omnibus, sequuntur, Matth. 19. *sedes duodecim, & iudicandi potestatem, sed 28. in altera primùm uita.* Hinc Paulus ait: 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* 3. Qui in altera 5. uita reuelaturus est secreta cordium, noluit ea in hac uita esse manifesta, ut in bonis humilitatem, erga malos conseruaret charitatem. Bonum diligimus, malum odio prosequimur. Superbirent boni, si certatim ab omnibus diligerentur. Placerent enim etiam sibiipsis. Nunc, quando pro eo, ut diligantur, odio habentur, continentur in timore & humilitate: verentur enim, ne fortè iustam alijs dederint auersionis causam. At malos si cognosceremus, cum eorum sit infinitus numerus, quo pacto eos amaremus, cum vix diligamus, quos bonos esse existimare debemus? Deus bone, quæ esset ab hominibus ubiq; auersio, si sciremus, eos Deo tam

tam abominabiles esse? Itaque, vt S. Augustinus docet, *contra hoc malum, quo quisq; libenter de homine malum, quod non prospicit, suspicatur, charitas habenda est, qua non amulatur;* immò quæ omnia dubia & incerta aliorum dicta & facta, de quibus non constat, quo animo fiant, semper in partem meliorem interpretatur. Quare in illa verba: *Nolite iudicare, hoc loco, inquit S. Augustinus, nihil aliud nobis precipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant; in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, vel blasphemie, vel furta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo: Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Im-*

S. August. in Psal. 118.

Matth. 7. 1.

S. August. cap. 30. in

Matth. Matth. 7.

20.

1. Cor. 5. 12.

S. Bern. in Cantic.

serm. 4.

*Et si perperam actum quid deprehendas, nec sic indices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam; puta subreptionem; puta casum.*

di-  
ro-  
am  
itus  
ad-  
cli-  
care  
stus  
E,  
sed  
t:  
tera  
luit  
hu-  
ita-  
ro-  
n ab  
iam  
an-  
nore  
iu-  
At  
in-  
ous,  
isti-  
ho-  
Deo  
ant





Quòd si omnem omnino dissimulationem re-  
tutudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, &  
dicit apud temetipsum: Vehemens fuit nimis  
tentatio: Quid de me illa fecisset, si in me acce-  
pisset similiter potestatem?

## §. XII.

Optimum, contra temeraria iudicia, remedium,  
in proprium sinum inspicere, & sua pec-  
cata considerare.

Atque hoc est optimum, contra iudicia  
temeraria remedium, vt, si iudicare volu-  
mus, in nostrum sinum inspiciamus. Ibi  
nulla committetur temeritas. certa & nota  
ibi sumus iudicaturi. Ita Christus Phariseos  
repressit, adulterij accusantes feminam,  
cùm ipsi pleni essent spurcitijs & impurita-  
te. Dixit enim: *Qui sine peccato est vestrum,*  
*primus in illam lapidem mittat.* Et alibi, post  
verba illa: *Nolite iudicare, vt non iudicemi-*  
*ni,* subiunxit: *Quid vides festucam, in oculo*  
*fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*  
*Hypocrita, eyce primùm trabem de oculo tuo.*  
Apud antiquos PP. senex quidam à fratre re-  
gatus, quid cause esset, cur assiduè iudicaret fra-  
tres monachos? respondit: *Quia necdum te*  
*ipsum cognouisti. Nam qui se ipsum nouit, fra-*  
*trum vitia non aspicit.* Itaque monet alius

S. Pater:

In prat.  
Spir. cap.  
34.

S. Pater: Pie cauteq; vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere vel obiurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus, utrum tale sit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et, si numquam habuimus, cogitemus, & nos homines esse, & habere potuisse, &c. Iudicet de alterius errore, ait S. Ambrosius, qui non habet, quod in semet ipso condemnet. Iudicet ille, qui non agat eadem, qua in alio putauerit punienda: ne dum de alio indicat, in se ferat sententiam. Similia habet S. Chrysostomus, & S. Gregorius. Quam stultus esset chirurgiam profitens, si alteri vellet festucam ex oculo extrahere, cum ipse trabem in suo gestaret? medicus qui pustulam sanare alterius conaretur, ipse vlceribus scatens, quibus remedium nullum adhiberet? Nonne audiret, *Medice, cura te ipsum?*

§. XIII.

*Malorum esse, in se sua mala in alijs eorum bona non videre.*

Tales sunt, qui temerè iudicant. Nam Comes memoratus, de colloquio vnico duos iudicauit seuerissimè, puniuit atrocissimè, quasi adulterium commisissent, cum interea homicidium quod est utiq; adulterio grauius, & iudicium temerarium commi-

S. August. lib. 2 de ser. Dom. in Monte cap. 30.

S. Ambr. serm. 20. in Psal. 118.

S. Chryf. hom. 24. in Matth. S. Greg. Mor. c. 15.

fisset. Sic plerumq;, qui alios solent iudicare, ipsi sunt deteriores: quia id de alijs iudicant, quod in se experiuntur. Vt enim is, quem vertigo ebrietatis rotat, etiam alia circa se putat rotari; sic malus mala sua etiam alijs attribuit. Sic hæretici, cum ipsi castitatem non seruent, à nemine putant alio posse seruari. Nempe quales sumus, taliter & iudicamus. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat.* Quemadmodum enim boni, in alijs bona, in se mala aspiciunt; ita vicissim mali in se bona, in alijs mala intuentur & mirantur. *Mitto vos ad Sanctum illum senem, ait S. Bernardus, qui cum audisset, peccasse unum ex fratribus, amarissime flebat, inquit: Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri?* Erat autem ille senex anachoreta, de quo Dorotheus historiam memorat. Bonus fuit hic, ideò de bono thesauro protulit bona, sicut malus de malo thesauro profert mala. Nam et de alio refert S. Bernardus, qui ad ipsum D. Bernardum, licet laicus dumtaxat monachus esset, veniens ad pedes illius prostratus dixit: *Veni mihi, o pater, qui monachum vidi, in quo triginta virtutes consideravi, quarum nec unam*

Eccles. 10.  
3:

S. Bern.  
serm. 3. de  
resurrecti.

S. Doro-  
theus do-  
ctrin. 6.

S. Bern.  
serm. 1. ad  
fratres de  
monte  
Dei.

*in me inuenio.* Ita in contrarium Pharisaus Luc, 18. 14.  
ille, in templo, in se tantum vidit, quod  
bis in Sabbatho ieiunaret, quod decimas  
omnium daret, quæ possederat; quod non  
esset *sicut ceteri hominum; raptores, iniusti;  
adulteri;* in publicano autem nihil nisi pec-  
cata illius considerabat. Contrarium de-  
buisset agere; in se superbiã, hypocrysin, ia-  
ctantiam, contemptum aliorum potuisset  
inuenire; in publicano, humilitatem, de-  
missionẽ, modestiam oculos ad cælum at-  
tollere non audentis, denique pœnitentiam  
pectus suum verberantis, & Deum depre-  
cantis, ac dicentis, *propitius esto mihi pecca-  
tori.* Ita muscis comparantur mali isti iudi-  
ces, quæ relictis omnibus sanis partibus po-  
mi, aut animalis, omnes ad eam partem ad-  
uolant, quæ labem contraxit: Sic enim isti  
nihil pensi habent eorum, quæ sancta sunt,  
in proximo; sed minutias quærunt, in illis  
hærent, ibi se pascunt, vbi aliquid mali ad-  
uertunt. Quod & sanguisugæ faciunt,  
quæ ad venam hominis applicatæ, tantum  
sugunt eum sanguinem, qui in corpore cor-  
ruptus est, sano ac bono sanguine præter-  
missio. Exemplum clarissimum est, in Pha- Matth;  
risais ad Christum, plus, quàm quadragin- 15. 2.

ta leucarum spatio distantem abierunt, ab Ierosolymis, ut discipulos eius coram accusarent, dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Quale non scelus arbitremur? Quale autem? *Non lauant manus, cum panem manducant.* Hem scelus! Et tamen ad has ineptias accusandas, Pharisei, viri Ecclesiastici, religiosi, primates populi, aliorum duces, tam longum iter suscipiunt, & coram tanto iudice, causam levissimam agunt; & quidem contra Apostolos, in quibus spiritus paupertatem, continentiam, modestiam, honestatem, zelum animarum, diuini nominis atque honoris propagationem, & mille virtutes admirari potuissent. Sic & Phariseorum imitatores, quotidie iam in hoc, iam in illo aliquid reperiunt, quod censeant, & damnent; omissis omnibus laude dignis eorum virtutibus: cum tamen ipsi, si nullo alio vitio laborarent, solis his iudicijs mille gehennas mereantur.

## §. XIV.

*Multos ita cacos esse, ut etiam temeraria iudicia iactent; quibus tamen tandem suus error quoad dog, ostenditur à diuina bonitate.*

*Et quod omnium deterrimum est, nihil unquam*

vmquam cogitant se delinquere, & fortasse etiam sibi plaudunt, quasi de iudicij acumine ac subtilitate, & velut de iustitia, quasi obsequium Deo præstent; sicut Comes ille Rhenanus; qui toto anno numquam agnovit, se iniustum iudicem, malum zelotypū & homicidam esse; sed potiùs, vt se iustitiæ, & castitatis amantem esse gloriaretur, vxorem cum catena, & occisi capite pallentem, inter canes, produci iussit, vt aduenis & hospitibus iustitiam suam ostentaret, quæ reuera summa iniquitas fuit. Sed magna pars hominum damnabitur, quòd rerum spiritualium imperitia, & proprio amore excæcata *malum bonum, & bonum malum* Isa. 5, 20 iudicet. Quamquam tanta est Numinis bonitas, vt sicut, ob hospitalitatem, qua Comes S. Vdalricum tamquam seruum Dei suscepit, eidem oculos, per D. Vdalricum aperuit; ita & multis, ob paruum opus bonum, lucem immittat, qua videant, se in tot falsis iudicijs ignoranter hæsisse, & bene retractent, quod malè iudicauerunt. Quod vtinam etiam contingat illis, qui hanc historiam non solùm animi, verùm etiam animæ causâ legent: vtinam illis contingat, vt mille iudicia temeraria, quibus fortasse, cum

at, ab  
m ac  
trans  
le non  
Ton la.  
Hem  
culan  
igiosi,  
m lon  
udice  
n con  
perta  
nesta  
is atq  
irtutes  
orum  
in illo  
dam  
eorum  
lio vi  
lle ge  
  
iudicia  
quan  
  
nihil  
quam

cùm proximum damnare voluerunt, se ipsos perditum iuere, tandem aliquando omnia, apud Confessarium retractent, & expungant; discantque non se, nec sua iactare, quæ fortè reprehensione digna sunt, vt planè digna fuit illa iniusta Comitum in uxorem innocentem sæuitia, quam hospiti Vdalrico voluit, tamquam iustitiæ exemplum, ostentare. Quod si verò etiam laude dignum est factum aliquod, tamen digna non est eius iactatio. *Meminimus, ait Plinius, quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia, quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet. Nec si casu aliquo non sequatur, idcirco, quòd gloriam non retulit, minùs pulchrum est. Ii verò, qui benefacta suis verbis adornant, non ideò predicare, quia fecerint, sed vt predicarent, fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisse, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim, cùm rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quòd non sileas, ipse culparis.*



CAPVT

Plin. lib.  
1. epist. 8.